

vt omnino existimet similem, sed potius in qualicumque ista similitudine magnā quoque dissimilitudinem.

*Prima dissimilitudo.*

Quod breuiter ostendi potest. Homo vnus per ista tria meminit, intelligit, diligit, qui nec memoria est, nec intelligentia, nec dilectio, sed hæc habet. Vnus ergo homo est, qui habet hæc tria, non ipse est hæc tria. In illius vero summa simplicitate natura, quæ Deus est, quamuis vnus sit Deus, tamen tres personæ sunt, pater, & filius, & spiritus sanctus: & hæc tres personæ sunt vnus Deus. Aliud est itaque Trinitas res ipsa, aliud imago Trinitatis in re alia: propter quam imaginem, etiam illud, in quo sunt hæc tria, imago dicitur, scilicet homo. Sicut imago dicitur, & tabula, & pictura, quæ est in ea: sed tabula nomine imaginis appellatur, propter picturam, quæ est in ea.

Quod propter illa tria homo dicitur imago.

*Alter a dissimilitudo.*

Rursus ista imago, quæ est homo habens illa tria, vna psona est illa verò Trinitas non vna persona est, sed tres personæ: pater filij, & filius patris, & spiritus patris, & filij. Itaque in ista imagine Trinitatis non hæc tria vnus homo, sed vnus hois sunt. In illa verò summa Trinitate, cuius hæc imago est non vnus Dei sunt illa tria, sed vnus Deus: & tres sunt illa persona, non vna persona. Illa. n. tria non homo sunt, sed hois sunt, vel in hoie sunt. Sed nunquid possumus dicere Trinitatem sic esse in Deo, vt aliquid Dei sit, nec ipsa sit Deus? Absit, vt hoc credamus. Dicamus ergo in mēte nostra imaginē Trinitatis, sed exigua, & qualem cunq; esse, quæ summæ Trinitatis ita gerit similitudinē, vt ex maxima parte sit dissimilis. Sciendū verò est, quod hæc Trinitas mētis (vt ait Augustinus in decimo quarto lib. de Trinitate) non ppea tantū imago Dei est, quia sui meminerit mēs, & intelligit, ac diligit: sed quia potest et meminisse, & intelligere, & amare illum à quo facta est.

Questio. solutio.

Aug. li. 4. de Trinit. ca. 12. a

*Alia assignatio Trinitatis in anima, scilicet mens, notitia, amor.*

Potest etiam alio modo, alijsq; nominibus distingui Trinitas in anima, quæ est imago illius summæ, & ineffabilis Trinitatis. Vt enim ait Augustinus in nono libro de Trinitate: Mens, & notitia eius, & amor, tria quadam sunt. Mens enim nouit se, & amat se, nec amare se potest, nisi etiam nouerit se. Duo quadam sunt mens, & notitia eius. Item duo quadam sunt mens, & amor eius. Cum ergo se nouerit mens, & amat se, manet Trinitas, scilicet mens, amor, & notitia. Mens autem hic accipitur non pro anima, sed pro eo, quod in anima excellentius est. Hæc autem tria cum sint distincta à se inuicem, dicuntur tamen esse vnus: quia in animo substantialiter existunt.

Aug. li. 9. de Trinit. c. 4. c.

Aug. li. 9. De Trinit. cap. 3. c. Item c. 4. c. Quomodo ea dicuntur esse vnus.

*Quomodo mens vice patris, notitia filij, amor spiritus sanctus accipitur.*

Et est ipsa mens quasi parens, & notitia eius quasi proles eius. Mens enim cum se cognoscit, notitiam sui gignit, & est sola parens suæ notitiæ. Tertius est amor, qui de ipsa mente, & notitia procedit, dum mens cognoscens se, diligit se. Non enim potest se diligere, nisi cognosceret se. Amat etiam placitam prolem, id est, notitiam suam: & ita amor, quidam complexus est parentis, & prolis.

*Quod non est minor mente notitia, nec amor utroque.*

Nec est minor proles parente, dum tantam se nouit mens quanta est: nec minor est amor parente, & prole, id est, mente, & notitia, dum tantum se diligit mens, quantum se nouit, & quanta est.

*Quod hæc tria in seipsis sunt.*

Sunt etiam hæc singula in seipsis, quia, & mens amans in amore est, & amor in amantis notitia, & notitia in mente noscente est. Ecce in his tribus qualecunq; vestigium Trinitatis apparet.

*Quomodo mens per ista proficit ad intelligendum Deum.*

Mens itaque rationalis considerans hæc tria, & illā vnam essentiam, in qua ista sunt, extendit se ad contemplationem creatoris: & videt vnitatem in Trinitate, & Trinitatē in vnitate. Intelligit enim, vnum Deum esse, vnam essentiam, vnum principium. Intelligit enim, quia si duo essent, vel vterque insufficiens esset, vel alter superflueret: quia si aliquid deesset vni, quod haberet alter, non esset ibi summa perfectio. Si verò nihil vni deesset, quod haberet alter, cum in vno essent omnia, alter superflueret. Intellexit ergo vnum esse Deum, vnum omnium autorem: & vidit quia absque sapientia non sit, quia si res fatua: & ideo intellexit eum habere sapientiam, quæ ab ipso genita est: & quia sapientiam suam diligit, intellexit etiam ibi esse amorem.

Hic